Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Schultze

Diaskepsis Oracvli Prophetici Qvod Est Apvd Jeremiam Cap. XXXI. V. 31-34. De Novo Foedere

Lipsiae: Litteris Jo. Andr. Zschav, Anno M DCC XIX

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861911229

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861911229/phys_0001
DFG

49. el 4.

44.

Ia-1092 (44)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861911229/phys_0002
DFG

1. Joach. Justus Rau de potibus sacrae paginae Jen 1733

2. Jo. Reinh. Rusii structurae in Pentateuchum Werthemiensem et Jen 1735.

3. Godofr. Wegneri specimen quaestionum exegeticarum in hexaemeron creationis ad Gen 1. Trefti 1689.

4. Eiusdem specimen clavis philologicae in priora commata Gen 1. ib. eod.

5. Jo. Andr. Danzius de Caino contra necem praemunito. ad Gen IV, 15. Jen 1681. recus. ib. 1732.

6. Jo. Reinh. Rusius de Abrahami evocatione ex Vr. Jen 1718 rec. 1736

7. Abrah. Calovius de mirabili cum filio DEI Jacobi lucta. Witteb 1669 ad Gen XXXII. v 24 sqq

9. Jo. Casp. Krause de הַיֹּסֶף לְבִיעַ ad Gen XLIV, 5. Witteb 1706.

7. Geor. Sigism. Greenius de luco religioni ab Abrahamo consecrata ad Gen XXI, 33. Lips 1735

10. Jo. Friedr. Stappella de vocula Man ad Exod XVI, 15. Witteb 1664

11. Theod. Dassovius de panibus facierum ad Exod XXV et Levitic XXIV. Witteb 1692 recus ib. 1736.

12. Jo. Friedr. Loscani de sacrificiis quotidianis ad Exod XXIX, 40. 41. Lips 1718.

13. Jo. Christo. Ortlobius de jejunio Mosis quadragesimali ad Exod XXXIV v 28. Lips 1702.

14. Christo. Sontagii paralipomena de ligno Sittim Altorf 1710.

15. Henr. Jac. von Bashuysen de manipulo hondeceo ad Levitic XXIII, 9 – 15. Serv. 1734.

16. Jac. Schmaltzius de vxore Mosis Aethiopissa ad Num XII, 1. Lips 1673.

17. Matth. Hillerus de Hebraeorum vestibus fimbriatis ad Num XV, v 37 sq. Tubing. 1701.

18. Jo. Christo. Ortlobius de morte Aharonis ad Num XX, 23–29. XXXIII, 38. 39. Deuteron. X, 6. Lips 1704.

19. Jo. Frischmuthius de Propheta Mosi pari ad Deut. XVIII, 15. Jen 1675 recus ib 1736.

20. Theod. Dassonius de suspendio hominis lapidibus obruti ad Deut. XXI, 22 et Gal III, 13. Witteb 1694. recus ib 1736.

21. Inst. Christo. Schomerus de arcanis Jehouae ad Deut. XXIX 29. Rost 1690.

22. Jo. Bartschius de sepulchro Mosis ad Deut XXXIV, 6. Lips. 1703.

23. Jo. Georgii Abichtii Commentarius R. Isaiae in Josuam. Lips 1712.

24. Jo. Georgius Abichtius de statione solis ad Jos. X, 12. 13. 14. Lips 1713

25. 26. Jo. Georgius Abichtius de libro recti ad Jos X, 13. et 2 Sam I, 18. Lips 1714.

27. Franc. Vlr. Walterus de iis qui per regentes sive convocantes calamo scribae intelliguntur. Print 1734. ad Jud V, 14.

28. Jo. Friedr. Mayerus de vulpeculis Simsonis ad Jud XV, 4. Witteb 1688.

29. Seb. Schmidius de fasciculo viventium ad 1 Sam XXV, 29. Argent 1660 recus 1731.

30. Jo. Christo. Ortlobius de Davidis deliris coram Achis Lips 1 Sam XXI, v11–v16 Lips 1706.

31. Jo. Andr. Schmidius de regina austri ad 1 Reg X, 1 sqq Jen. 1706.

32. Laur. Müllerus de origine regni Damasceni tempore Israelitarum ad 1 Reg XI, 23. 24. 25. Lips. 1714.

33. Franc. Vlr. Walterus de poena flagellorum et scorpionum ad 1 Reg XII. 14. Rintel. 1731.

34. Car. Friedr. Bezoldus de hominibus a bestiis enutritis ad 1 Reg XVII. 6. Lips 1703.

35. Henr. Gottliebius Reimius de numero annorum regiminis Jehoschapathi ad 1 Reg XXII. 42. 2 Chron XX. 31. 2 Reg III. 1. et VIII. 16. Jen. 1713.

36. Henr. Gottliebius Reimius de harmonia vitae Jorami, Achasiae et Jorami ad 1 Reg XXII. 51, 2 Reg. VIII, 24. 2 Chron XXI. Jen 1713.

37. Jo. Andr. Schmidius ~~de~~ Elisaeo ad musices sonum propheta ad 2 Reg III, v 15. Helmst. 1715.

38. Jo. Ernes. Müllerus de ~~[illegible]~~ עוץ terra Jobi Lips 1678.

39. Jo. Georgius Abichtius de Goele Jobi ad Job XIX, 25. 26. 27 Lips 1708.

40. Jo. Henr. Michaelis de sensu verborum Job XVIII, 25 ad fin. Hal 1735.

41. Gerh. Herm. Menkenius de osculo manus ori dato ad Job XXXI, 27. Lips 1711.

42. Jo. Frischmuthus de Eli, Eli Lama Sabachtani ad Ps XXII. Jen 1663.

43. Christo Sontagius de Triadologia Catholica ad Ps XXXIII, 6. Alt. 1698. reuss. ibid 1716.

44. Gottlob Adolphus de Psalmis filiorum Korah. Lips 1706.

45. Jo. Engelh. Steuberus de peccato originis ad Ps LI, 7. Rintel. 1731.

46. Zach. Grapius de decoribus sanctitatis ab utero aurorae et rore juventutis Messiae ad Ps. CX. 3. Rost. 1708.

47. Jo. Christi. Burgmannus de aurora in lege, testimonioque conspicua ad Jes. Cap. VIII. v. 20. Rost. 1735.

48. Jo. Georgius Abrichtius de Oraculo Jesaiano Cap. IX. 1. coll. Matth. IV, 15 Lips. 1708.

49. Idem de gaudio gentium adventu Christi multiplicato. ad Jes. IX, 3. Lips. 1708.

50. Henr. Jac. van Bashuysen de vexillo Messiae erecto inter gentes. ad Jes. XI. 10. Lenn. 1717.

51. Jo. Schmidius de epulo solenni in monte Zion ad Jes. XXV, 6. Lips. 1713.

52. Christi. Benjamin Otto de sepulchro Christi cum divite ad Jes. LIII, 9. Lips. 1700.

53. Jo. Andr. Danzius de λύτρῳ redemtionis humanae. ad Jes. LIII. 10. 1 Pet. I. 18. 19. Jen. 1720.

54. Josias Henricus Opitius de Jeremia inter prophetas majores primo Lips. 1704.

55. Friedr. Schultzius de novo foedere. ad Jerem. XXXI. 31.–34. Lips. 1719.

56. Ernest. Friedr. Neubauerus de Michaele Archangelo non creato sed creatore Jesu Christo ad Dan. X. 13. 21. XII. 1. Jud. v. 9. Apocalyps. XII. 7. 1 Thess. IV. 16 coll. Zach. Cap. III v. 2. Hal. 1732

57. Ernest. Friedr. Neubauerus de Michaele Archangelo vindicato. Hal. 1732

58. Geor. Friedr. Schroerus de principe Persarum Gabrieli resistente. ad Dan. X. 13. Witteb. 1729.

59. Jo. Schmidius de lapide septem oculorum pro expiandis peccatis ad Zach. III. 9 Lips. 1716.

60. Jo. Andr. Schmidii novae oraculi Zachariani Cap. IX. 11. ἐξήγη 6is Helmst. 1725

S.S.

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ
ORACVLI PROPHETICI

QVOD EST
APVD
JEREMIAM CAP. XXXI. v. 31-34.
DE

NOVO FOEDERE,

QVAM
IN S. THEOLOGIAE BACCALAVREATVS
COMPLEMENTVM PROPONENDI PRIMA
ERAT INTENTIO,

AB EA AVTEM PER INOPINATVM LIPSIA DISCESSVM
RETENTVS *IN ABITVM*

NVNC
TRADERE VOLVI

M. FRIDERICVS SCHVLTZE,
SS. THEOL. BACCALAVREVS ET ECCLESIAE
AVDIGASTENSIS PASTOR.

LIPSIAE,
LITTERIS JO. ANDR. ZSCHAV,
ANNO M DCC XIX.

ILlud fere plerisque sacrarum literarum Scriptoribus factum animadvertimus, ut unam alteramve Christianæ doctrinæ partem, præcipuo studio sint persecuti, peculiari forte, quem sibi præfixum habuere, scopo id exigente, quæ res nequit in illis jure reprehendi, ut qui cætera super idem construentes fidei fundamentum sanctissima spiritus unitate inter sese plane consentiant. Namque ut Novi Fœderis Scriptores hic tantum commemoremus, unus quidem omnium luculentissime Paulus; quemadmodum coram divino judicio hominem peccatorem absolvi servarique oporteat, in Epistolis maxime iis, quas ad Romanos & Galatas dederat, explicavit, id sibi propositum hic tenens, ut fastum Judæorum, quod cæteris gentibus salutem gratiamque Dei inviderent, suoque studio implendæ legis divinæ nimium essent confisi, reprimeret. Sed tamen cæteros JESV CHRISTI Apostolos, quorum scripta sacra Codice Novi Testamenti continentur, nominatim Petrum, Jacobum, Judam & Johannem, tametsi in alia re forsan pertractanda plus operæ posuerint, ab illo gentium magno Apostolo nec quicquam ideo dissentire, sed iisdem sanæ doctrinæ vestigiis insistere universos, nemini potest esse obscurum, qui, quæ passim horum aliqui de fide illa, qua justi declarati a summo Judice, filiorum Dei & supremæ civitatis

jura adipiſcimur, clare tradiderunt, Petrus in priori Epiſtola I. capite, comm. 5. 18. cap. II. comm. 6. quin & poſterioris capite I, 1. Johannes item in primæ Epiſtolæ cap. V. comm. 4. 5. 11. attentiori animo legat, atque cum illa Pauli Evangelica Doctrina diligenter conferat. Deinde hoc quoque accuratius expendendum eſt, non id ſolum Deum Patrem Domini noſtri JESV CHRISTI ſpectaſſe, quando abundantisſimæ ſuæ gratiæ ſpecimen erat editurus, ut a morte & Diaboli poteſtate in libertatem vindicatos homines ex miſerrimis beatisſimos redderet, (id quod præſtare eum nullo noſtro merito, ſed ſolius fidei conditione propoſita, ex ſcripturis certe manifeſtisſimum eſt) ſed & gloriæ ſanctisſimi Nominis ſui opus, ad quam manifeſtandam primum toti comparati eramus, in nobis miſere depravatam denuo inſtrueret ac perficeret denique; eamque fidei, quæ eſt lux illa in cordibus noſtris accenſa, geminam eſſe indolem, ut a natura ſibi inſitam habeat divinam virtutem, quæ ad pie colendum celebrandumque Summum Numen faciat. Quæ ſane verisſimam cauſam oſtendunt, quamobrem non minori induſtria ſtudendum ſit, ut, qui CHRISTI nomen profitentur, vera & ſolida cognitione eorum, quæ officii ipſorum ratio exigat, ac lege divina mandata vel prohibita ſint, imbuantur; ſæpe etiam ſi res ita poſtulet ſanctisſimæ doctrinæ CHRISTI verba ita prudenti conſilio dividenda ſint, ut præterquam ea, quæ vitam moresque Chriſtianorum ſpectant, non multa alia fere in loco proferantur. Ex iſtis vero hoc quoque facile intelligi poteſt, canonicam auctoritatem illis etiam ſcriptis eo tantum nomine non eſſe derogandam, quod in eisdem Evangelicæ doctrinæ de Fidei juſtitia deve ſalute noſtra per JESVM nobis parta redditaque, pariter ut in cæteris tam diſertisſima haud inveniri poſſit mentio, in quorum cenſum a nonnullis referri binas illas Jacobi & Judæ

Epi-

Epistolas, quæ sacro codice Novi Fœderis constituto, ad nos quoque pervenere non possumus inficiari. Itaque non adeo mirandum est, quod videamus Jacobum in sua Epistola tam gravi oratione falsam illam, quæ multorum animis sedet, sententiam refellere, quod fide se salvos ac beatos fore credant, etiamsi in peccatis mortui permaneant, nec se vivere certa & indubia prodant indicia, peragendo ea, quæ lex Dei libertate donatis omnibus, ut qui eo pacto servi justitiæ facti sunt, serio mandet ac præcipiat. Etenim quando idem Apostolus, Legis opera & virtutis studium maximopere requirit ac urget, in eo sane ipsi cum Paulo Apostolo plane convenire, ex utriusque scriptis invicem, uti par erat, studiose collatis, satis superque constat. Judas quoque in hæc tempora incidens, quibus perditis moribus homines, a veritatis via ac fide turpiter aberrantes, Filium Dei unigenitum esse illum, qui ad redimendum genus humanum ex stirpe Davidica oriundus, in has terras venisset, pernegantes, sicut primis temporibus a CHRISTO sanctisque Apostolis ejus prædictum erat, Ecclesiam CHRISTI instar luporum misere devastarent, non potuit non impios istos supremi Numinis Majestate judiciorumque divinorum comminationibus eo compellere, ut salutis suæ rationem habere, ac perversas vias suas deserendo ad Deum se convertere discerent. Porro quæcunque in Epistola priori Petri Apostoli passim inserta legimus de fidei salutiferæ dignitate, de Redemtionis pretio incomparabili, quod Servatori erat persolvendum sanguine suo, de angulari lapide CHRISTO in Zione posito, ut firmissima Ecclesiæ suæ ædificandæ fundamenta jaceret, de summi Sacerdotis nostri sacrificio, quod expiandorum peccatorum causa ille confecerat, Evangelicæ doctrinæ haud parvi momenti capitibus, eo maxime trahuntur ab Apostolo, ut clare nobis ostenderet, tot tamque egre-

egregia Gratiæ divinæ documenta, quibus ſummis a Deo Patre in CHRISTO affecti ſumus beneficiis ad eundem ſcopum Gloriæ divinæ, de quo paulo ante diximus, illuſtrandæ pertinere, ut Deo reconciliati, redemti ſanguine ipſius Filii & Spiritu regenerati ad exemplum juſtiæ & ſanctitatis divinæ nos componamus, & priſcis Veteris Teſtamenti ſancitis multo ſanctiora feramus ſacrificia, Deum videlicet ex animo colentes ac venerantes, voluntati ejus obtemperantes, & omnia peccatorum commercia penitus abnegantes. Idem Apoſtolus poſterioribus literis pari ratione quod Jacobus fecerat perperam de fide ſalutifera ſentientes haud obſcure coarguit, id ſimul aperiens, quantum fides & lux illa cognitionis Domini noſtri JESV CHRISTI nativa ſua virtute poſſint ad vitam ſpiritu renovandam atque idoneos reddendos homines, qui veræ pietatis officia præſtent, & fructus juſtitiæ proferant uberrimos, ut taceam, quæ de futuris fatis Eccleſiæ & tremendo illo Judicii die imminenti ſcribat denique. Quid tandem de Johanne Apoſtolo omnibus ſuperſtite dicam? Is vero in prima maxime ſuarum Epiſtolarum, præterquam quod Antichriſti jam ſua ætate (quod itidem CHRISTI Apoſtolorumque vaticinia loquebantur) enaſcentis mendaciis fortiter contradicat, JESVM CHRISTVM Filium Dei æternum eſſe verique hominis naturam aſſumta in mundum veniſſe teſtificans, hanc quoque doctrinæ Chriſtianæ partem pluribus exponit veritatis lucem illam, in qua fidem ſubſiſtere novimus, & juſtitiæ fructus illos naturali quodam vinculo inter ſe connexos eſſe, hosque indubitata vitæ ſpiritus regenerati argumenta judicat, ſi quidem dicto audientes ſimus & quæcunque Dominus præceperit, facere ſerio nos comparemus. Sed ſummam eorum præceptorum omnium in amore, quo Deum primo omnium maxime, dein-

deinde & nosmet invicem prosequi debeamus, complexus est, quam amoris legem uno omnium Magistro Christo dilucide explicatum Jacobus Apostolus cap. II. Epistolæ suæ regiam salutavit. Quæ quidem in plurimis Novi Testamenti scriptis a nobis observata, observare imprimis quoque licet in epistola, quæ ad Hebræos scripta θεόπνευστος est & Paulo procul dubio auctore consignata, quippe qui more suo Cap. X. v. 34. vinculorum suorum & Cap. XIII. v. 23. Timothei familiaris, cum quo venturum se ad illos dicit, mentionem facit, ad quam epistolam digitum intendisse Petrum II. Ep. C. III. v. 15. Judæis maxime scribentem satis quidem probabile est, si cum citato loco conferas, quæ Hebr. X. v. 34. habentur. Tenebantur inprimis conversi ex Hebræis & inter illos Hierosolymorum incolæ, apud quos antea Paulus commoratus fuerat, studio legis ceremonialis, adeo ut immunitatem evangelicam ab hoc jugo ac si divinam legem per Mosen datam omni ex parte opinione eorum immutabilem tolleret, fere expaveſcerent. Quibus quidem errantis conscientiæ stimulis eo magis agitabantur cum ferali odio Judæi religionem pristinam servantes in illos ut Apostatas exardescerent, & gentes Christiano nomini infestas contra ipsos incitarent, infirmorum vero animos argumentis nonnunquam tentarent. Hinc occasio suppeditata Apostolo post mortem imprimis Jacobi Hierosolymorum Doctoris, ut videtur, adhortandi Christianos e Judæis conversos ne a Christo deficerent vel eundem cum Mose componere laborarent. Moses imprimis & Aaron erant, quorum ministerium deserendum videbatur Christum sequentibus, quare majorem Mose & Doctorem & Prophetam Christum esse, atque adeo si Moses audiendus, majori attentione Christum audiendum P. I. tractationis epistolæ Paulus commonstrabat.

Tum

Tum vero oratione longa ſacerdotem illum eſſe perfectiorem ipſo Aarone ejusque ſacrificium, quod complere debebat Aaronicum, huic præferendum, nec Apoſtatas habendos eſſe eos, qui illud amplecterentur, inde a Cap. IV. v. 14. ad Cap. XIII. v. 8. edocet. Hoc vero præſtantius ſacerdotium, dum Chriſto ſacerdoti ſummo adſtruit Apoſtolus, dignitatem ejus λειτουργίας plane ſingularem inter alia quoque Cap. VIII. ex eo deducit: quod cum ſacerdotis officium alias ſit officium μεσίτου inter Deum & homines fœdus conciliantis, ipſius quidem Chriſti ſacerdotium ideo multum Aaronico antiſtet, quod fœderis melioris ipſe mediator ſit. Hoc ipſum vero de fœdere novo & meliore argumentum, cum doctrinam evangelicam novi Teſtamenti multum illuſtret, placuit jam nobis ſollicitius excutere. In quo tamen exponendo Prophetæ Jeremiæ oraculum ſequemur, quippe quod Autori epiſtolæ ad Hebræos fundamenti loco collocare in re declaranda viſum fuit.

TEXTVS

TEXTVS

JEREM. XXXI. v. 31. 32. 33. 34.

הִנֵּה יָמִים בָּאִים נְאֻם־יְהוָה וְכָרַתִּי אֶת־בֵּית
יִשְׂרָאֵל וְאֶת־בֵּית יְהוּדָה בְּרִית חֲדָשָׁה: לֹא
כַבְּרִית אֲשֶׁר כָּרַתִּי אֶת־אֲבוֹתָם בְּיוֹם הֶחֱזִיקִי
בְיָדָם לְהוֹצִיאָם מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם אֲשֶׁר־הֵמָּה הֵפֵרוּ
אֶת־בְּרִיתִי וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָּם נְאֻם־יְהוָה: כִּי זֹאת הַבְּרִית
אֲשֶׁר אִכְרֹת אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל אַחֲרֵי הַיָּמִים הָהֵם
נְאֻם־יְהוָה נָתַתִּי אֶת־תּוֹרָתִי בְּקִרְבָּם וְעַל־לִבָּם
אֶכְתֲּבֶנָּה וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים וְהֵמָּה יִהְיוּ־לִי לְעָם:
וְלֹא יְלַמְּדוּ עוֹד אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ וְאִישׁ אֶת־אָחִיו
לֵאמֹר דְּעוּ אֶת־יְהוָה כִּי כֻלָּם יֵדְעוּ אֹתִי לְמִקְטַנָּם
וְעַד־גְּדוֹלָם נְאֻם־יְהוָה כִּי אֶסְלַח לַעֲוֹנָם וּלְחַטָּאתָם
לֹא אֶזְכָּר־עוֹד:

Auctor Epistolæ ad Ebræos.

Ἰδὲ ἡμέραι ἔρχονται, λέγει Κύριος, καὶ συντελέσω ἐπὶ τὸν οἶκον Ισραὴλ καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα διαθήκην καινήν.

Οὐ κατὰ τὴν διαθήκην, ἣν ἐποίησα τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου· ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει Κύριος.

Ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει Κύριος, δοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς· καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεὸν, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι εἰς λαόν.

Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ, καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, λέγων· Γνῶθι τὸν Κύριον· ὅτι πάντες εἰδήσουσί με, ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν.

Ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, καὶ τῶν ἁμαρ-

μαρτιῶν αὐτῶν, καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι.

Versio B. Lutheri.

SJehe, es kommt die Zeit, spricht der HERR, da will ich mit dem Hause Israel, und mit dem Hause Juda einen neuen Bund machen.

Nicht wie der Bund gewesen ist, den ich mit ihren Vätern machte, da ich sie bey der Hand nahm, daß ich sie aus Egypten-Land führete, welchen Bund sie nicht gehalten haben, und ich sie zwingen muste, spricht der HErr; Sondern das soll der Bund seyn, den ich mit dem Hause Israel machen will nach dieser Zeit, spricht der HERR: Ich will mein Gesetz in ihr Hertz geben, und in ihren Sinn schreiben: Und sie sollen mein Volck seyn, so will ich ihr GOtt seyn.

Und wird keiner den andern, noch ein Bruder den andern, lehren und sagen: Erkenne den HERRN; sondern sie sollen mich alle kennen, beyde Klein und Groß, spricht der HERR. Denn ich will ihnen ihre Missethat vergeben, und ihrer Sünden nimmermehr gedencken.

EXEGESIS.

§. I.

TOtum hoc Caput XXXI. in duas partes distingui potest. In priori Deus promittit bona corporalia, nempe quietem ab hostibus & liberationem ex Captivitate Babylonica; in altera Spiritualia bona pollicetur Dominus, nempe remissionem peccatorum, redemtionem a Lege atque novum fœdus, puta Evangelicum, sicque sanctis illis promissionibus erigit ac consolatur Populum Israeliticum. Apostolus *Paulus*, qui ad Ebræos scripsit Epistolam, videtur contrarium asserere, cum scribat: Μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει: Ἰδὲ ἡμέραι &c. Quod, si communem interpretationem sequimur, vertamus: vituperans enim illos dicit: Ecce dies &c. B. Lutherus ipse vertit: Denn er tadelt sie, und spricht. Verum, qui totum caput Jeremiani vaticinii perlegerit accurate, videbit, nullam in illo esse vituperationem populi. In Genere enim Consolatorio, ut cum Exegetis loquamur, promissiones sunt, non sane in Elenchtico aut Epanorthotico. Deinde qui μεμφόμενος cum αὐτοῖς connectit parum accurate interpretabitur. Etenim μέμφεσθαι cum Dativo si apparet, non vituperandi sed conquerendi obtinet significationem. Exemplis hoc demonstrare possem, nisi scirem, nulli erudito Philologo esse ignotum. Sed quid hoc? vix credibile est αὐτοῖς respicere ad μεμφόμενον, quin potius ad τὸ λέγειν pertinet. Enim vero quæ tum esset verborum structura, quilibet haut facile perspiciet, nisi qui veram τῦ μέμφεσθαι significationem non intelligit. Nam vituperandi & conquerendi notio hic non valet.

§. II.

Post maturam vero considerationem hujus vocabuli, *contra-*

trarium oſtendere rei alicujus ſignificaſſe olim, invēni. Idemque hoc loco ſignificat. Veritas hujus rei elucet ex præcedente commate, ubi Apoſtolus de antiquo fœdere ita loquitur: Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος. h. e. ſi enim prius illud (fœdus) fuiſſet perfectum aut ſufficiens, non alterius quæreretur locus. Tunc pergit & ſcribit: Μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει, h. e. diverſum enim oſtendens illis dicit: Cum enim de novo fœdere loquitur, diverſum oſtendit illis, qui prius æternum & ad ſalutem conſequendam ſufficiens æſtimabant. Quæ magis conveniat Apoſtoli menti interpretatio non video? Nec dubium eſt, quin vocabulum μεμφόμενος hanc admittat ſignificationem. Profecto niſi ad majora properaret Diſſertatio, haut paucis meam opinionem munirem exemplis ex Demoſthene, Iſocrate, Septuaginta ſenibus aliisque petitis. Hoc tamen etiam notandum μέμφεσθαι tale diverſum oſtendere, quale in præcedentibus quis affirmavit, e. g. Si Orator quidam de Viro diceret: eſſe illum ſincerum atque integrum; Qui vero aliud diverſum de eodem proferret, μεμφόμενος eſſet. Sic utitur hoc verbo Demoſthenes in Oratione prima de Philippo; Quando Athenienſibus oſtenderat, non e re fore, ſi Equites atque Tribuni in urbe imperium agerent & de Lemno curarent; tandem ſe purgat ab invidia: Καὶ ἐ τὸν ἄνδρα μεμφόμενος ταῦτα λέγω, ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι τοῦτον, ὅς τις ἂν ᾖ. h. e. Neque Viro contrarius hoc dico, ſed a vobis ſuffragiis electum illum eſſe decet, quisquis ſit. Etenim Athenienſes Hipparchum in Civitate retinere volebant aliumque in Lemnum mittere, ſed Demoſthenes μεμφόμενος contrarium oſtendit. Hinc & Heſychius in Lexico μέμφεσθαι τὸν ἀγαθὸν i. e. oſtendere de bono non eſſe bonum. Hic etiam alio loco διαγνῶναι & ἐπιγνῶναι & μέμφεσθαι ut Synonyma explicat.

§. III.

Tandem cum Apoſtolus dicit πρώτην διαθήκην non fuiſſe ἄμεμπτον, non oportet, interpretemur, inculpabilem, quæ

 ſigni-

significatio sane contra Orthodoxiam esset. Quod enim Deus fecit, inculpabile est. Haud mihi displicet hac in re Theodori Bezæ interpretatio, quæ ita sonat : Nam si prius (fœdus) tale fuisset, ut nihil in eo posset requiri, &c. Equidem ἄμεμπτον significare in Novi Testamenti scriptis idem quod Ebræorum תמים arbitror, & vertendum esse perfectum & semper duraturum. Animadvertit hoc jam Theodoretus Comment. ad Ebræos Epistolæ, ubi dicit ἄμεμπτον positum esse ἀντὶ τελείᾳ. vid. & Eustathius in Homerum p. 203. Eandem significationem obtinet Philipp. II. v. 15. ubi Paulus ita adhortatur Philippenses: Ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα &c. h. e. ut sitis perfecti (תמימים), sincerique ; Filii Dei inculpabiles; Sane discrimen inter ἄμεμπτον & ἀμώμητον maxime patet.

§. IV.

Hæc propter Exegeseos Studiosos altius repetii ; nec fieri aliter vix poterat, cum Apostoli sententiæ meam conformare studerem. Textus enim est Derivativus, ut quidam Exegetarum loqui amant, igiturque cum primo erat conciliandus.

§. V.

Nunc ad ipsum vaticinium interpretandum accedimus, ubi Tria observamus. I. Promissionem Novi Fœderis. II. Fœderis ipsius descriptionem & Tractationem. III. Effectum Novi Fœderis. Ad Promissionem Fœderis Novi quod attinet, indicat Spiritus Sanctus simul α) Tempus, quando fiet. הנה ימים באים נאם יהוה Ecce dies venturi, dicit Dominus. Futurum est tempus & adhuc expectandum cum auctore CHRISTO. Eandem loquendi rationem retinuit cap. XXXIII. v. 14. ubi iterum hujus fœderis mentionem injecit magisque informavit legentem. Alias אחרי הימים vocatur tempus quo Christus venturus est ejusque fœdus. Hac phrasi utebatur Spiritus San-

Sanctus in fine cap. XXX. Item Jes. II. v. 2. Mox addit β) Personas, quibus cum fœdus inire vult. וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה: & pangam cum domo Israel & cum domo Judæ fœdus novum. Judæi sunt fœderis socii. Hi prioris erant socii, hinc & posterioris, quamvis illi non soli essent, sed & aliæ arcessitæ sint gentes, ut postea Thesi V. ostensum ibimus. Fuerunt etiam prima hujus pacti membra. ברית חדשה prorsus novum fœdus erit. Male sane Grotius cum Judæorum magistris interpretatus est hoc comma: renovabo fœdus meum. Etenim hæc interpretatio & contextui & planæ verborum significationi adversatur. Ut a posteriori incipiam; nunquam כרת ברית חדשה significat renovare pactum, ut Grotius vult, nec ullus Judæus aut alius hoc ex prolatis Scripturæ testimoniis probare poterit. Certo equidem non aliud meretur argumentum, quam hujusmodi: Grotius aut ex prava voluntate hæc verba ita interpretatus est, aut contra sanam rationem; si illud verum, pessimus homo fuit, sin hoc, haut parvam stultitiæ partem eruditioni suæ admiscuit. Verum utrumque mihi concedat Grotium oportet. Illum ex prava sua voluntate, spirituales promissiones libenter e sacris literis expungere voluisse testatur B. Calovius in Bibliis illustratis. Ego contra sanam rationem hæc interpretatum fuisse affirmo. Nam qui plane novum vocat renovatum, si serio facit, contra sanam rationem loquitur. Judicium hoc ipse Grotius tulisset, si quis ad ipsum veniens dixisset: Fœdus vestrum, quod tu & amicus tuus iniistis, de mutuis studiis, est nihil aliud quam renovatum; cum ante biennium & quod excurrit, etiam fœdus iniistis de commerciis. Sed tamen Grotius potius stulti nomen pati voluerat, quam suam mutare sententiam. Miror cur non Grotius comma 22. &c. ברא יהוה חדשה בארץ verterit, renovabit fœdus hoc Dominus in terra, virum mulier circumdabit; quamvis non nesciam, etiam hæc verba illum diluisse.

§. VI.

Præterea II. Descriptio fœderis novi attendenda, est vero

ro illa (α) remotiva : לא כברית אשר כרתי את אבותם Deus opt. maximus optimus ſuorum verborum interpres ſatis declarat, quale fœdus futurum ſit. Non, inquit, (erit) ſicut fœdus, quod pepigi cum Patribus illorum. Quando vero? ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים In die quo apprehendi manus eorum, ut educerem illos ex Ægypto. Nullum aliud intelligit fœdus, quam quod fecerat, cum legem in monte Sinai promulgaſſet, de quo legi poteſt Exodi XX. Hoc factum ſummum Numen tanti fecit, ut ſæpe ſuo Nomini adjunxerit, ego ſum Deus tuus, qui te ex Ægypto eduxit. Mox addit quomodo hoc fœdus ſervarunt. אשר המה הפרו את בריתי Illi fregerunt fœdus meum. Vix enim ſonus verborum, quæ Moſes ad illos locutus fuerat a Deo juſſus, aures perſonarat, cum jam leves hi homines pactum reſcinderent. Sed hæc prævaricatio non bene ceſſit : quod Deus his verbis docet ואנכי בעלתי בם Sed ego dominatus ſum illis, aut melius, ego coegi eos. Hieronymus vertit dominatus ſum. Ex recentioribus Buxtorfius & Grotius eandem verſionem obſervarunt. B. Lutherus Germanice ita reddidit : Daß ich ſie zwingen muſte. Et hæc interpretatio maxime placuit eruditis Theologis. Nam non poterat amplius illis ut Rex mitis & clementiſſimus imperare, quoniam ipſi ſe indignos gratia ſua fecerant. Septuaginta ſenes pro בעלתי בם ſcripſerunt ἠμέλησα αὐτῶν neglexi illos. Nec aliter Apoſtolus Auctor Epiſtolæ ad Ebræos vertit. Equidem conjecto neque ſeptuaginta viros neque Apoſtolum בעלתי in antiquis codicibus legiſſe, ſed בערתי h. e. exarſi ſcilicet ira. Vel ut propius accedam interpretationi Apoſtoli & LXX. Senum, non curavi iſtos. בער enim removendi & negligendi gaudet ſignificatione, quamvis præter hunc locum raro occurrat. Objiciant forſan aliqui : Apoſtolum verſione LXX. Senum uſum fuiſſe. Verum nondum quod dixerunt, probarunt. Differt enim hæc ab illa. Deinde etiamſi conceſſerim, Apoſtolum illa uſum fuiſſe ; non tamen ſecutus eſſet illos, ſi aliud vocabulum extitiſſet in Ebræo textu, quem ſine dubio memoria tenuit aut evolvit. Accedit quod Syrus interpres idem cum aliis fecerit, quorum tamen verſiones no-

noſtro בערתי non reſpondent. vid. Polyglotta Biblia Waltoni. Quin & Theodoretus in Commentario ad Jerem. בערתי legit & vertit ἠμέλησα. Non quidem plane negabo Theodoretum conſuluiſſe græcam interpretationem. Attamen diligenter alias Hebræum & Syriacum volumina contulit & diſcrimina annotavit, ut etiam ſub initium Comment. in hoc caput fecit. Nullus igitur affirmare dubito in antiquiſſimis libris בערתי lectum fuiſſe, injuria vero temporis literam ר in ל mutatam fuiſſe, cuſpide juſto longius elata; quæ quidem mutatio parva, ſi literam ſpectas, major tamen, ſi ſignificationem. Cæterum velim, ne quis cogitet, me B. Lutheri Verſionem aliquo modo culpare, ſic enim injuriam quis mihi inferret, quippe qui ſemper Beati Viri Θεοδώρου interpretationem non tantum admiror ſed & exoſculor.

§. VII.

Cum hactenus Deus per Prophetam fœdus novum deſcripſiſſet remotive, ut ita loquar, dixiſſetque, quid non eſſet; nunc dicit, quid erit: אחרי הימים ההם נאם יהוה נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה h. e. poſt illos dies, dicit Dominus, dabo Doctrinam meam (Evangelii) in medium illorum, & in cordibus illorum inſcribam. Plurimi נתתי את תורתי dabo legem meam interpretantur. At enim vero accurata hæc interpretatio non videtur: Si enim Deum loquentem pie attendamus, non poterimus תורה hic legem vertere. Quippe תורה non modo legem, ſed & doctrinam Evangelii ſæpe includit. Ne vero quis miretur me ita interpretantem תורה, dicam, quid ſentiam, non primus ſum hoc qui perſpexit; B. Oſiander eſt, quem B. Calovius in Bibliis illuſtratis, ad h. c. loquentem introducit ita: Non enim Legis, ſed Evangelii doctrina hominum corda regenerat, ut ex animo Deo obediant. Et Calovius Comma hoc ſic παραφράζει: Ego enim per miniſterium verbi ita inſcribam Evangelium cordibus & viſceribus Chriſtianorum, ut illud avidiſſime & arctiſſime ſint amplexuri, & ex eo cognituri, quod ſim Deus clementiſſimus. Veruntamen circumſpicienti mihi haut difficile erat invenire ſa-

sacris litteris talem significationem. Primo in Psalmo XIX. 8. ubi ita David loquitur : תורת יהוה תמימה משיבת נפש h. e. Doctrina (Evangelii) Domini perfecta reducit animam. B. Lutherus : Das Gesetze des HErrn ist ohne Wandel, und erquicket die Seele. David תורה τῇ adscribit solatium animæ tantum, ut si propter peccata terrentia & miseriam excitantia languescat, ab illa reducatur & spiritum colligat. Certe hæc est legis non propria virtus, ut Paulus aliique demonstrarunt Apostoli. Lex terret peccatorem ; Lex excitat iram Dei, ex lege cognoscimus peccata, nemo per legem justificari potest ; Quomodo igitur Lex animam fere langueſcentem reficere posset ? Videt quilibet Davidem respicere ad promissiones Dei de remittendis peccatis, de Christo salute. Nonne hoc Evangelium ? Idem de תורה affirmat David in CXIX. Psalmo v. 92. si tua, inquit, תורה doctrina promissionum non fuisset meum solatium, periissem in miseria mea. Nec solus Rex ille juxta ac Propheta Dei David ita תורה usus est ; Sed & Prophetæ hanc significationem declararunt. Magnus ille Summi Numinis Vates Jesaias c. II. v. 3. ita vaticinatur. Ex Zion egredietur תורה, & verbum Domini ex Jerusalem. Prædixerat enim antea tempus Novi Testamenti, quo doctrina Evangelii longe lateque disseminanda erat. Repetit hoc oraculum Micha cap. IV. v. 2. ad quæ verba B. Calovius in Bibliis illustratis ita commentatur : E Sione prodibit lex, non quæ docet offerre externas victimas, aut alias præstare ceremonias : Sed תורה doctrina κατ' ἐξοχὴν ita dicta, doctrina Evangelii. Sic quoque hunc locum explanarunt Origenes in Homiliis, Hieronymus super Jeremiam & in Commentario in Matthæum. In libris N. Test. Νόμος eandem obtinuit significationem. Matth. XI. v. 13. Ipse Christus dicit : Πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος, ἕως Ἰωάννε, προεφήτευσαν. h. l. νόμος καὶ ἐπαγγελία καὶ εὐαγγέλιον sunt ἰσοδυναμοῦντα. Confer Lucæ XVII. 16. Rom. III. 27. & VIII. 2. Paulus νόμον τὸ πνεύματος τῆς ζωῆς profert. cap. IX. 4. νομοθεσίαν usurpat. Idem Paulus ad Galatas II. v. 19. scribit : ἐγὼ γὰρ διὰ νόμε νόμῳ ἀπέθανον. Hanc significationem תורה nescivit Grotius in Jeremiam l. c. sæpius, qui scrupulum subortum superare

rare non potuit. Hinc motus totum comma de beneficiis ſecularibus interpretatus eſt. Quippe non comprehendere poterat legem inſcribendam cordibus hominum, cum jam antea nota eſſet Judæis. Propterea ad verſ. 33. Jerem. ſcripſit: tanta in eos beneficia conferam, ut eorum non possint non meminiſſe.

§. VIII.

Præterea Deus Fœderis novi tractationem hoc Epiphonemate concludit: והייתי להם לאלהים והמה יהיו לי לעם h. e. poſtquam homines doctrinam Evangelii ſalutarem perceperint, crediderintque, ego illorum Deus ſolus ero, illique populus meus erunt. Et hæc eſt tota fœderis tractatio, quam Deus cum hominibus peregit. Secus qui facient in hujus fœderis partem non admittentur. Cæterum in toto hoc dicto æternus æterni Patris Filius loquitur ſeque promittit futurum noſtrum Immanuel Deum nobiscum. Hoc nomen illi datum Eſaiæ VII. 17. & VIII. 8. vid. B. Müllerum de Judaiſmo p. 677. III. Effectus hujus Fœderis Novi conſiderandus eſt, qui ſane magnus, Conſiſtit hic 1) in cognitione Meſſiæ exhibiti, quæ erit (α) ſpontanea, de qua Comma 34. hæc habet: ולא ילמדו עוד איש את רעהו h. e. & non docebit amplius quisquam alterum. Quæ verba non tantum intelligenda de Judæis, ſed de omnibus hominibus, quippe quibus aditus patet ad N. Fœdus; ut fiant fideles Iſraelitæ & veri Judæi hoc eſt confitentes Dominum. Nec obſtat vocabulum רעהו quod vulgo vertitur proximus ejus. Etenim & hoc non tam ſtrictiorem involvit ſignificationem quam latiorem, ita ut nec gentiles aut pagani a ſignificatione רע excludantur. Scilicet nec fœdus paganos excludit, ſed univerſale eſt, ergo etiam effectus ejus talis erit. Convenit optime hæc notio vocabuli cum Sacra Scriptura, quæ ita ſæpius loqui amat. Exemplo ſit X. præceptum, ubi Deus interdicit malam concupiſcentiam erga uxorem alterius his verbis לא תחמד

אשת רעך. Quis hæc interpretabitur? non concupiſces uxorem proximi tui ſcil. Iſraelitæ. Nam latiſſime ibi patet vocabuli ſignificatio, quod nemini facile ignotum eſſe poterit. Hinc etiam mala concupiſcentia, qua ferri poterant Judæi in exteras uxores, hoc præcepto prohibita eſt. Sic & Ægyptius רע vocatur Exodi XI. 2. Et optimus interpres, Chriſtus ſanctiſſimus quærenti ſcribæ: quis eſt meus proximus? reſpondit tali ſimili, quod noſtram ſententiam egregie probat, confirmat atque illuſtrat. vid. Luc. X. v. 30. Natura quoque nominis רע ejusque origo talem admittit interpretationem. Ducunt plurimi a radice רעה quod paſcere ſignificat atque conjungere. Hinc quocum paſci & conjungi naturaliter poſſumus eſt noſter רע. Nam homo eſt ſociabilis. Porro & συναφεια ſermonis divini hoc clare oſtendit; quippe in ſequenti commate dicit: ואיש את אחיו aut aliquis fratrem ſuum. His verbis mihi tandem videntur indicari Judæi, ut ſenſus ſit: Nullus quenquam docebit amplius, ne quidem Judæus Judæum, quibus tamen data eſt & conceſſa תורה doctrina. Sunt enim Judæi omnes אחים, quoniam ſunt unius patris filii, ſcilicet Iſraelis. Optime igitur B. noſter Lutherus interpretatus eſt: **Und wird keiner den andern, noch ein Bruder den andern lehren.** Septuaginta Viri & S. Apoſtolus, qui ad Ebræos ſcripſit, verterunt: Καὶ ὁ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πολίτην αὐτοῦ. Πολίτης vulgo civis vertitur; Sed hæc ſignificatio non exhaurit vim vocis. Etenim πολίτης hominem ſociabilem quemcunque denotat. Hinc Ariſtotelis ζῶον πολιτικὸν. Deſcendit πολίτης ἀπὸ τῦ πολεῖν vel πολεῖσθαι vertere & verti, commutare, conjungere. Senes iſti Septuaginta de induſtria uſi ſunt hoc Vocabulo, quoniam videlicet Ebræorum רע optime exprimeret, quod & Apoſtolus perſpecta vocabuli natura retinuit.

§. X.

Sic nemo ita ut antea docebit דעו יהוה cognoſcite Do-

Dominum. Hæc verba ſane ſunt δυσνόητα & interpretibus aliquod negotium fecerunt. B. Calovius in Bibliis illuſtr. in h. l. pag. 485. τὸ cognoſcere per credere explicat, quando ita ſcribit: Dominum vere cognoſcere, eſt in eum credere, eſſe patrem noſtrum, ad quem nemo pervenit, niſi qui apprehendat N. T. ſive pactum promiſſionis gratiæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro, quemadmodum ipſe dicit: Ego ſum via, veritas & vita; & hæc eſt vita æterna, ut te, qui es ſolus Deus pater, atque quem miſiſti, cognoſcant. B. Sebaſtianus Schmidius in Annotationibus ad Jerem. c. XXXI. v. 34. p. 222. ſcribit: non legem ſtricte dictam docebunt, ſed ſufficiet cognitio fidei Evangelica &c. Et paulo poſt ita παραφράζει L. C. II. Doctrina N. T. ſ. Evang. de ſuo miniſterio prædicet cognitionem Dei propitii de remiſſione peccatorum quorumcunque per fidem in promiſſione de Chriſto factam, quod Deus in eum credentibus in Deum & hi in populum ipſius futuri ſint; Sic Orthodoxi noſtri. Ex aliis ſectis Doctores male hoc dictum interpretantur. Grotius iterum Calovio l. c. merito vapulat, qui pro more ſuo hæc omnia de beneficiis temporalibus exponit. Piſcator, quem B. Schmidius nominat, hoc de electis & prædeſtinatis tantum intelligit, putatque, non adeo fore opus magno labore aut moleſtia ad eos docendos. Verum uti ſupra dixi, cum Fœdus ſit univerſale neceſſe eſt ut etiam effectus ejus ſit univerſalis.

§. XI.

Equidem totum hoc oraculum de Chriſto noſtro redemptore interpretor, qui h. l. vocatur (uti & alias) יהוה. [Jam ſupra innui ex B. Müllero quosdam ita explicare, quibus nec B. Calovius ad verſ. 33. in Bibl. illuſtr. adverſatur.] Loquitur igitur hic ſecunda divinitatis Perſona, Filius nempe Dei Optimi Maximi, ipſe Deus. Prædicit igitur Fœderis N. tempore fore, ut nemo alterum amplius doceret, dicens: Cognoſce Dominum h. e. Chriſtum. In Veteri enim Teſt.

non ita clara erat hæc de Christo doctrina. Expectabant adhuc Mesiam votisque desiderabant ardentibus. Hinc merito Christus suos Discipulos prædicat beatos Luc. X. 23. Præterea particula עוד supponit actum præteritum, ita ut sensus sit ejusmodi: Antea docuerunt vos Prophetæ visionibus atque vaticiniis ולא עוד, sed non amplius his opus erit.

§. XII.

Veruntamen hæc cognitio erit (β) plenaria, quamvis non eo quo antea modo doceatur. Sequentia id declarant: כי כולם ידעו אתי למקטנם ועד גדולם Nam plane omnes me noscent a parvis illorum ad magnos usque h. l. ידע iterum in generaliori sumitur significatione, & notitiam aliquam comprehendit non tamen assensum verum atque fidem necessariam ad salutem. Etenim Christum norunt, omnis orbis terrarum de Christo audiverunt Psalm. XIX. 2. Nec probabile est, inveniri gentem hodie, quæ nesciret dari Christianos. Sed tamen hi populi non vere cognoscunt illum h. e. fide vera Salvatorem mundi apprehendunt, ut Americani, Indi, Mahomedani, & Judæi &c.

§. XIII.

Effectus quoque se exserit in remissione peccatorum: כי אסלח לעונם ולחטאתם לא אזכר עוד Quoniam placabo crimina eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius. Sane hæc verba ultima nostri oraculi nostram omnino confirmant sententiam: quod scilicet ipse Christus hic loquutus sit. Christi enim est placare DEVM, & expiare peccata atque delere, ut ipse fatetur: Ego deleo peccata tua nec amplius eorum recordabor Esaiæ XLIII. v. 25. ipse portavit peccata mundi Joh. I. v. 29. ipse est pro nostris criminibus propitiatio, ut Joh. loquitur I. Epist. II. 2. Ipse nostra peccata in profunditatem maris projecit,

nec

nee amplius illorum recordabitur Esaiæ XXXVIII. v. 17. Et Micha VII. v. 19. ita loquitur עונתינו יכבוש supprimet atque sibi subjiciet peccata nostra. Quin & ipse Apostolus Paulus de Christo hoc oraculum divinum interpretatus est Rom. XI. 25-27. & Ebr. X. 12-18.

THESIS I.

Novum Testamentum, cujus nos esse participes, gaudemus, est illud prædictum novum Fœdus.

§. I.

QVamvis Sacra Scriptura nulli credenti obscura esse possit adeo, ut neque frequente lectione atque studio vix intelligatur; sunt tamen, quorum intellectus spissis insciticæ tenebris circumfusus est, ut claram lucem videre nequeant. Digitum intendo ad Judæos nefarios illos veritatis divinæ hostes, qui hodie negant: promissiones atque vaticinia omnia esse impleta. Nam quodcunque de Christo, de novo fœdere, aliisque legimus in sacro volumine, de alio Messia quodam ac alio fœdere intelligi volunt. Non equidem diffiteor, si nullo in loco alio Deus de fœdere hoc dixisset, fore δυσγένητον, an scilicet nostrum novum esset Testamentum. Nam ימים באים sunt futuri dies. Quis vero sciret, quos futuros dies Deus velit intelligi? Verum tantum abest, quin Deus opt. maximus hæc suis verbis & per Jeremiam & per alium Prophetam magis plana fecerit.

§. II.

Etenim cum cap. XXXI. de hoc novo Fœdere locu-

cutus fuisset Jehova, XXXIII. capite comm. 14. 15. 16. certiores facere vult lectores de hac re. Imo affirmat eodem tempore venturum Messiam צמח enim illud, quod excitabit Davidi, significare Messiam ne ipsi quidem inficiari possunt Judæi. Hinc optime argumentari possumus : quo tempore veniet Messias Filius Davidis, eodem tempore fœdus novum instituetur. Quando vero Christus venerit, ex Danielis vaticiniis discere possumus, cui ab Angelo Gabriele jussu Dei certum tempus indicatum est, non tantum venturi Christi, sed & tractandi atque confirmandi Fœderis novi. Verba Angeli latine versa hæc sunt : Septuaginta sunt septimanæ decretæ de tuo populo & tua sancta civitate, & prævaricationes prohibentur, peccatumque delebitur, atque crimina placabuntur & justitia æterna dabitur, visiones vero & vaticinia desinent, ac sanctissimus ungetur. Hinc Chronologicis rationibus disputare possemus. Verum quid opus est, cum tot alia nobis præbeat argumenta sacra Scriptura quæ neutiquam infringi possunt.

§. III.

Tempore Christi nempe post 70. Septimanas visiones atque vaticinia desinent, dicit Angelus. Hoc factum jamjam esse ne Judæi quidem σκληροτράχηλοι negare possunt. Ubi enim sunt Prophetæ, ubi visiones ? Desierunt. Splendor hic antiqui fœderis luce majori oriente evanuit. Etenim προφητείαι omnes in Christo conveniebant, perficiebantur. Hunc prædixerant futurum omnes Prophetæ ; cum igitur veniret necesse erat, ut fine obtento silerent Prophetæ. Christus maximus erat Propheta, cæterosque miserat ; quid opus erat, ut cum Dominus Prophetarum ipse veniret, servi audirentur. Moses primus, cujus vaticinia providentia divina conservavit nobis, Propheta ita inspirante Numine Devteron. XVIII. 18. loquebatur : Excitabo illis Prophętam, ut tu es, ex fratribus eo-

eorum, verbaque mea in os ſuum ponam, omne loquatur, quod illi præcipiam, qui verba illius non audiet, ab illo poſtulabo. Petrus Apoſtolus ille ſanctus hoc teſtimonium ipſius Dei contra Judæos producit Actor. III. 22. Et Stephanus in oratione coram Judæis paulo ante mortem ſuam habita, hic eſt Moſes, inquit, qui ad Iſraelitas dixit: Prophetam Deus Dominus veſter excitabit ex fratribus veſtris ut me, illum audiatis. Actor. VII. 37. Quin & plurimi Judæi hoc ſciebant de Chriſto dictum. Hinc quoque cum tanta ſigna atque miracula a Chriſto vidiſſent edita, dicebant: Sane hic eſt Propheta ille venturus. Joh. VI. 14. Et diſcipuli duo, qui viam ad Emaum ducentem, pergebant, etiam de Chriſto affirmabant fuiſſe illum magnum Prophetam. Lucæ XXIV. v. 19. A Moſe igitur usque ad Malachiam, qui ultimus fuit Vet. Teſtamenti Propheta, omnes de Chriſto vaticinati ſunt. Hic ultimus adhuc fœderis tempus indicavit cum adventu Chriſti. Mox, inquit, ad templum ſuum veniet Dominus, quem quæritis, & Angelus *Fœderis* quem cupiviſtis, cap. III. v. 1. IV. v. 5. Hoc Malachia mortuo CCCC. & plures anni præterlapſi erant donec Chriſtus veniret. Profecto miranda eſt Dei cura verborum ſuorum, dum ultimo vati ſuo Fœderis novi mentionem inſpirat, libros Veteris Teſtamenti clauſurus. Poterant igitur Judæi tanto temporis intervallo vaticiniis Prophetarum quaſi ſpoliati locum Danielis cap. IX. non aliter interpretari, quam ut faterentur: tempus adeſſe prædictum. Hinc & eruditi illorum ad Johannem ablegabant ſcribas, Phariſæos atque Levitas interrogaturos: an Chriſtus eſſet, aut magnus ille Propheta Joh. I. 20. Luc. VII. 16.? Manet ergo firmum contra Judæos argumentum: Tempus quo deſierunt viſiones & vaticinia fuit tempus adventus Meſſiæ, ſecundum Angeli effatum; Sed tempore illo, quo Chriſtus noſter, in quem credimus, venit, deſierunt vaticinia. E.

§. IV.

Præterea etiam adventu Christi sive Messiæ Sacrificiorum erit finis. ישבית זבח ומנחה dicit Angelus Dei ad Danielem l. c. desinent æterna quiete sacrificia, & non sua sponte, sed quasi coacta. Nam ישבית significat: faciet, ut quiescat. Et sane coacti sunt Judæi, cum urbe capta in omnes orbis terrarum partes diffunderentur. Nec unquam restaurare potuerunt templum. Quamvis Julianus pessimus ille Apostata iis restaurandi templum atque sacrificia veniam indulgeret, res tamen non successit, sed cælitus prohibiti sunt. vid. Ammianus Marcellinus Libr. XXIII. & Sozomenus Lib. III. Hist. Eccl.

§. V.

Antequam vero hæc fierent, fœdus novum confirmari debebat teste legato divino Gabriele. Sic enim loquitur: והגביר ברית לרבים (שבוע אחד וחצי חשבוע ישבית זבח ומנחה) h. e. Sed confirmabit fœdus (novum) multis. Quid clarius hoc dici potuisset de tempore novi fœderis non video. Est enim prius confirmatum fœdus quam urbs caperetur. Tunc jam Christiani erant qui Evangelium amplexi fuerant. Multi vero hanc salutis conditionem recusant. Non habent præterea Judæi quod amplius objicerent; nisi contra sanam rationem ipsamque experientiam loqui velint. Hinc sequens ratiocinium illis oppono: Quo tempore desierunt vera illa antiqua sacrificia, illud est novi fœderis tempus, sed ante mille & septingentos annos desierunt, (si enim a completis illis septuaginta septimanis annos computamus, numerus talis prodibit) Ergo tunc fuit

novi

novi fœderis tempus, quod adhuc durat, & usque ad consummationem seculi duraturum est.

THESIS II.

Fœdus antiquum cessavit.

§. I.

QVi obiter hanc Thesin adspexerit vix ab admiratione suum retinere poterit animum. Scit enim, DEVM esse immutabilem, ut ipse dicit לא שניתי, ejusque voluntatem nunquam idem velle & non velle. Attamen hic videt, fœdus antiquum desiisse; unde colligere possit: voluntatem DEI fuisse mutatam. At enim vero minime hoc sequitur; cum DEI optimi maximi voluntas eadem antiquis fuerit temporibus, quæ novi fœderis seculis est. Volebat enim summum Numen mox post lapsum primorum parentum olim novum fœdus pangere. Hinc quoque promissio facta hominibus primis Genes. III. v. 15. de venturo novi fœderis inter DEVM & peccatorem mediatore; tempus tamen certum in suo sanctissimo consilio prævidit & determinavit, quo hæc futura. Interea vero ne sine cultu externo certisque legibus positivis viverent, fœdus primum instituit, ut illos doceret & præpararet ad alterum certe secuturum. Galat. III. v. 23. 24. Hinc & antiqui fœderis religio umbra & typus dicitur, novum vero testamentum corpus & antitypus. Quemadmodum vero umbra corpus respicit atque supponit; sic quoque primum atque antiquum fœdus alterum, cujus prodromus quasi fuit, respexit. Fuit igitur DEI voluntas, non ut aliquando non esset, sed ut præsente corpore umbra cessaret. Non adversatur igitur voluntati DEI

maximi, quamvis dicamus prius fœdus per Moſen Judæis annunciatum non valere hodie, ſed evanuiſſe.

§. II.

Nec durum eſt quod loquor, cum Apoſtoli ſancti idem affirmarint. Paulus ad Galatas cap. III. v. 19. ita ſcribit: Τί οὖν; ὁ νόμος τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται. h. e. Quid igitur? Lex propter prævaricationes poſita eſt, usque dum venit ſemen quod prædictum. Paulus idem ad Ebræos Sacerdotium Veteris Teſtamenti ὑπόδειγμα καὶ σκιὰν vocat cap. VIII. 5. & ultimo commate, cum de novo fœdere ex Propheta noſtro Jeremia locutus fuiſſet, addit: ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην· τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γηράσκον, ἐγγὺς ἀφανισμοῦ. Hic ἀφανισμὸν tribuit antiquo fœderi, & finem ejus accurate oſtendit. Quin & ex DEI Oraculo ſanctiſſimo, quod ex Jeremia ſiſtimus, hoc probari poteſt. Etenim Dominus fœdus ſuum ברית חדשה dicit, additque plane aliud futurum eſſe, quam quod cum Majoribus iniiſſet Judæorum, quos ex Ægypto tunc eduxerat. Si igitur novum erit & plane aliud, excludit ſane antiquum legale. Nec enim locum habet novum manente antiquo, Ebr. VIII. v. 7. Τὸ κρεῖττον τὸ καλὸν ſuperat; & rationi conſentaneum, meliore quadam re accedente bonam alteram paulatim exoleſcere ac evaneſcere. Ejusmodi argumentis ſancti Apoſtoli contra Judæos diſputantes uſi ſunt.

§. III.

Ut res adhuc clarior fiat, tractationem antiqui fœderis proferamus. Erat vero illa talis: Si legem meam obſervabitis, vivetis; ſi non, maledicetur vobis. Dev-

Devter. XXVII. v. 26. Galat. III. v. 10. Hoc esse primum fœdus nemo dubitare potest ; Satis enim illud descripsit summum Numen in nostro dicto. Quando videlicet dicit, se hoc fœdus feciſſe, cum eduxerit Israelem ex Ægypto. Quis igitur non videt novum fœdus meliores habere promissiones Ebr. VIII. v. 6. CHRISTVS enim nos a maledictione legis liberavit. Rom. X. 4. nullaque nunc damnatio in illis, qui in JESV CHRISTO sunt Rom. VIII. v. 1.

§. IV.

Enim vero forsan quis objicere posset, nos legem inutilem reddere aut plane e medio tollere. Sed vana est objectio, nec bono firmoque nititur fundamento. Non sequitur, fœdus antiquum cessavit, ergo lex moralis etiam abrogata est. Nam nulla est connexio. Ut jam Apostolus Paulus Rom. III. v. 31. dixit : νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως ; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Sane qui nobis hæc objicere vellet, illum Apostolum Paulum ad Ebræos adire jubeo ubi cap. VII. v. 18. 19. ita loquitur : ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς, διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνώφελες &c. Præterea effectus antiqui fœderis ostendit, hodie non valere ad salutem. Sic enim Judæi, qui hoc fœdere antiquo adhuc nituntur, certi essent de sua salute, si illud adhuc valeret ; Cum tamen Apostoli contrarium docuerint, ut neminem fidelium latere poterit. Hinc ita concludimus ; Cujuscunque fœderis conditiones amplius non valent, illud cessavit ; Sed antiqui fœderis conditiones hodie non valent, ergo cessavit. Aut in cujuscunque locum aliud succesſit, illud cessavit, sed in antiqui fœderis locum novum aliud succesſit. E. Sub finem hujus probationis theseos B. Bugenhagii verba adscribam ex ejus Commentario ad hoc caput Jerem. c. Dicendo,

inquit novum, abolet vetus, ut argumentatur etiam Epistola ad Ebræos, quemadmodum & apud homines testamentum posterius abrogat prius.

THESIS III.

Tractatio novi Fœderis est Evangelium.

§. I.

UT enim antiqui Lex erat tractatio a DEO lata, sic in novo Evangelium κατ' ἐξοχὴν ita dictum locum ejus supplet. Scio equidem Legem & Evangelium concurrere, sed tunc pro tota doctrina, quæ in Novo Testamento systematice ita dicto habetur, sumitur. Hanc vero significationem hic non agnoscimus; sed cum viris Apostolicis aliisque Theologis veram Novi Fœderis tractationem intelligimus. Sic B. Hieronymus Tom. III. Opp. in Jerem. cap. XXXI. Lib. VI. pag. 624. scribit: Omnes Ecclesiastici viri in primo Salvatoris adventu dicunt universa completa, & Novum Testamentum, h. e. Evangelium successisse. Vet. Test. B. Bugenhagius l. d. Vet. Test. Lex DEI, inquit, revelat peccatum & exigit justitiam; Novum Testamentum sive pactum, quod est Evangelium condonat peccata & confert justitiam. Hi viri conceptis verbis nostram thesin affirmant. Nec negabit qui Christianus est.

§. II.

Nec obstat, quod Evangelium in Veteri Testamento

to fuerit. Nam concedo fuisse, si modo sub Novo Testamento Systema Doctrinæ intelligas. Sciimus enim in universo antiqui Fœderis volumine Legem contineri, & promissiones futuri fœderis. Non tamen sic confundenda Novum Fœdus, quod Evangelium est, & Novi Fœderis promissio. Hinc & B. Bugenhagius l. c. ut videas, inquit, semper unam fuisse fidem justificantem coram Deo etiam apud Patres Veteres quæ & apud nos est. Hinc autem non sequitur Vetus & Novum idem esse nec differre nisi in modo tradendi, ut quidam nuper Autor parum caute scribere ausus est. Cæterum maxime errant Sociniani & Photiniani, qui novum fœdus non recte percipiunt, sed ex libris Veteris Testamenti promissiones vitæ æternæ eliminare studeant. Atque hoc eo non spectat, inquit B. Olearius in Observat. ad Matthæum pag. 357. quasi fideles Veteris Testamenti non habuerint gratiæ divinæ sensum, remissionis peccatorum & vitæ æternæ spem, conscientiæ torminibus acti, & de salute desperantes &c.

THESIS IV.

Judæi in antiquo fœdere frustra salutem animarum quærunt.

§. I.

UNa via est ad salutem qua incedamus oportet, alias neque ad dextram neque siniſtram Esaiæ XXX. v. 21. Hanc viam qui negligit, ad finem exoptatum pervenire nunquam poterit. In novo vero Fœdere hæc via aperta est omnibus, qui accedunt. Qui igitur vult finem, vult et-

etiam media ad finem ducentia. Si enim possibile fuisset in antiquo fœdere salvari ; Sane non opus fuisset, ut novum fieret. Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία, sic argumentatur Apostolus Paulus Rom. IV. 14. Actor. XV. 10. 11.

§. II.

Etenim Judæi adhuc cum operibus legis versantur, sunt igitur sub exsecratione, & salvari ex illis non possunt. Galat. III. v. 10. 11. 12. Cur vero ? Quia in novo fœdere Evangelium tantum locum habet. Evangelium vero tantum fidem requirit, Lex vero non ; sed qui hanc faciet, vivet, ut Apostolus l. d. loquitur. Quomodo igitur Judæi in antiquo fœdere possent salvari, non sane perspicio. Si adhuc promissionibus nituntur, cum jam Christus, in quo omnes factæ sunt, venerit, frustra sperant ; si lege ; sciant neminem illam posse implere. Accedentes vero ad novum fœdus h. e. Evangelium exhibitum salvabuntur. Nam hic est lapis ab illis pro nihilo habitus, qui tamen factus est caput anguli. Nec est in alio quoquam salus : nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos salvari. Act. IV. 11. 12.

§. III.

Sed non tantum Judæi nondum antiquum fœdus reliquerunt ; sed & Pontificii Novum non sufficiens esse putant. Etenim quod prorsus Evangelio est adscribendum, Legi quoque attribuere non erubescunt. Hinc & illorum Doctrina Sacræ Scripturæ adversatur, in qua tota docetur, nos fieri salvos ex gratia, per fidem in CHRISTVM. Actor. XIII. v. 38. 39. Paulus ita ad Ju-

Judæos loquitur : Notum igitur ſit vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum, & ab omnibus, a quibus non potuiſtis per Legem Moſis juſtificari, per hunc credentem quemvis juſtificari. Paulus ad Epheſ. II. v. 8. Gratia, inquit, ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed DEI donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Idem Apoſtolus ad Rom. I. affirmat: ſolum Evangelium eſſe potentiam DEI ad ſalutem cuivis credenti. v. 16. merito igitur Pontificiis & Judæis acclamare poſſumus ex Propheta Habakuk I. v. 5. Videte, o contemtores, & admiramini, & diſparete : quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non creditis, ſi quis enarrat vobis.

THESIS V.

Veri Chriſtiani ſunt Dei populus electus.

§. I.

DEVS quidem omnium gentium DEVS eſt, eſt enim unicus, Dominus, Creator & Conſervator. Nomen hoc ſibi ipſi tribuit. Enim vero proprie fidelium atque piorum Dominus atque DEVS dicitur. Ut Pater qui probos pravosque filios habet, omnium Patrem ſe eſſe profiteri neceſſum habet, lubentius tamen illorum Pater audire geſtit, qui proborum liberorum nomine conſpicui ſunt. Olim ſibi ſummum Numen præ cæteris elegerat Abrahami poſteros, illorumque Deus eſſe volebat. Hinc fœdus cum illis iniit, quod vero ſæpiſſime fregerunt, DEumque ſuum ad iram provocarunt. Hoc tamen fœdus

cum æternum esse non deberet ac posset, propterea, quod mox post lapsum Deus aliud promiserat Genes. III. aliud novum excepit, cujus socii iidem Israelitæ esse debebant propter promissionem, ut ex nostro textu Jeremiæ clarum est, ubi dicit DEVS: Pangam fœdus cum Domo Israel & Judæ &c.

§. II.

Et sane hi primi erant, quibus Evangelium de Christo prædicari debebat, cum vero semetipsos indignos hac gratia hocque Fœdere fecissent, etiam cæteris gentibus via ad novum Fœdus aperta est, ut Apostolus testatur Act. XIII. 46. Hinc & Christus ipse his suis civibus primo gratiam obtulit divinam, ad eosque se missum dicit Matth. XV. 24. Quin & discipulos ad perditas oves Israelis ire jussit Matth. X. 6. conf. Act. XVIII. v. 6. c. XXVIII. v. 28. Hieronymus l. d. ita meditatus est: Si scrupulum facit, quod dixerit: disponam Fœdus meum cum Domo Judæ & Israel &c. intellige primam Ecclesiam ex Judæis, & ad illos veniisse Dominum Salvatorem atque dixisse: non missus sum nisi ad oves deperditas Israel, vel ut Apostolus loquitur Act. XIII. 46. Non enim oportebat panem filiorum dare canibus Matth. XV. Sed quia Filii Patrem in sua venientem suscipere noluerunt, dedit omnibus potestatem, ut qui receperint eum, fiant filii Dei Joh. I.

§. III.

Non solum Judæos esse Novi Fœderis socios, jam Deus per Prophetas suas prædixit. Sic enim Jesaiæ XLIX. v. 6. parvum est mihi, inquit, quod servus meus sis, tribus Jacob erigere, & perditum in Israel reducere; sed te etiam lucem posui gentibus, ut sis salus mea usque ad fines terræ. confer c. XLII. v. 6. Hoc testimonio divino ad demon-

monſtrandum novum Teſtamentum quoque pertinere ad reliquas gentes utitur Paulus Act. XIII. v. 47. Simeon vates ille pius idem explicat de Chriſto puero, quem brachiis ſuis complectebatur. Oculi mei, inquit, viderunt Salvatorem tuum, quem præparaſti coram populis omnibus Lucem. Lucæ II. 30 31. 32. Ad Evangelium advolitare omnes gentes jubet Jeſaias c. II. 2. 3. ונהרו אליו כל הגוים. Et profecto ex omnibus terrarum orbis partibus tempore Novi Fœderis Evangelium quidam amplexi ſunt. Hi omnes, ex quali quali demum erant gente, dato Chriſto nomine Chriſtiani dicti ſunt, Fœderis N. ſocii atque populus Dei. Hinc Apoſtolus ad Galatas cap. III. 28. ſcribit: Non eſt hic Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, ſed omnes ſunt unus in Chriſto Jeſu. Ex qualibet natione Deum recipere hominem velle in fœdus ſuum fatetur Act. X. v. 34. Apoſtolus Petrus in domo Cornelii concionabundus.

§. IV.

Sunt igitur Chriſtiani ſelectus Dei populus. Paulus Epheſ. c. V. 27. Deus nos, inquit, elegit ante jacta mundi fundamenta. Idem teſtatur Chriſtum ſibi conſtituiſſe cœtum glorioſum. Hinc & Deus amat hanc ſuam Eccleſiam Act. XXI. v. 22. Nos ſumus illi, quos Deus viſitavit, Lucæ II. Tit. II. v. 14. Non igitur Judæi quatenus in Fœdus novum non venire volunt, ſunt Dei populus electus, nec ſibi verba illa, quæ Deus in Textus noſtri fine addidit: Ego ero illis Deus, & mihi illi erunt populus, applicare poſſunt. De nobis vero quod ſimus ille populus electus & Chriſtianorum nomine veniamus, vere ita argumentari poſſumus: Quicunque ſive ſint Ethnici ſive Judæi Fœderis novi participes facti ſunt, illi ſunt Dei populus electus, ſecundum effatum DEI Jerem. XXXI. 33.

THESIS VI.

Inſpirationes novæ a Fanaticis fruſtra N. F. tempore expectantur.

§. I.

COmma 34. noſtri vaticinii Jeremiani ab Anabaptiſtis & Fanaticis mente corruptis prave detorquetur. Nam ex illo concludere ſatagunt, omnes aut plurimos eo tempore eſſe inſpirandos atque ita a Deo immediate docendos. Raptant quoque impuris manibus in ſuam partem, locum Eſaiæ c. LIV. v. 13. ubi extat in Verſione B. Lutheri: **Sie werden alle von GOtt gelehret ſeyn.** Quæ verba Chriſtus ipſe Joh. VI. v. 45. repetiit. Adverſus hos Fanaticos B. Schmidius jam ſua ætate ſurrexit, ut ex annotationibus ad Ebræorum Epiſtolam ſcimus, ubi p. 882. L. C. IV. hæc habet: Inepta eſt, inquit, conſequentia; in N. T. non docebit quilibet proximum ſuum & quilibet fratrem ſuum dicens cognoſce Dominum: E. in N. T. nulla amplius erit doctrina, ſed omnes erunt docti a Deo immediate; quæ eſt Anabaptiſtarum & aliorum Fanaticorum conſequentia. Procedit vero a ſublatione ſpeciei ad ſublationem Generis, qui proceſſus vitioſiſſimus eſt. Nam docere aliquem dicendo cognoſce Dominum, non eſt omnis doctrina; ſed certa quædam. Hæc ille.

§. II.

Verum quidem eſt firmumque argumentum B. Schmidii, ſi cognoſcere in prima ſua ſignificatione ſumitur ac idem valet, quod ſcire & credere. Sed B. Calovius clarius ſcire per fidem veram atque aſſenſum ſincerum, ac fiduciam in Chriſtum explicat. Etenim fides ſola in Chriſtum nos ſalvat,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861911229/phys_0042
DFG

vat,& qui ita Deum cognovit, totam Christianam absolvit doctrinam Joh. XVII. 3. Quidam ex Patribus hoc comma de triumphante Ecclesia futura intellexerunt. Est in illis Chrysostomus atque Augustinus citante B. Schmidio l. d. Item Theodoretus Interpretat. in Jerem. c. XXXI. ita scribit: Hæc autem verba: (non docebit ultra &c.) sortientur effectum in futura vita. In illa enim non amplius indigebimus multa disciplina; cum res manifeste appareant & quiescant affectus. Idem repetit Comment. in Epist. ad Ebr. c. 8. circa finem.

§. III.

Sed vero contextus suadet de militante in his terris Ecclesia esse intelligenda cum nostris Theologis, Hülsemanno & aliis. Hic autem locus, præcipue a Fanaticis Orthodoxis opponi solet. At vero perperam. Utinam illi textum scripturæ propheticæ attenderent,& quid Christus hoc loco loquatur? scilicet prædicit, fore, ut nemo doceret amplius alterum, ut se Dominum noscat. Particula עֹד ostendit antea fuisse quandam de Christo s. Messia doctrinam. Sed quænam illa erat? quomodo fiebat? Docebantur homines de Christo in V. T. a Prophetis, inque visionibus atque inspirationibus. Nunc vero dicit Christus me non amplius ita noscent, nec ita docebuntur. Sequitur igitur optime ex hoc commate contrarium argumentum. Hinc ita ratiocinor: Aut in N. F. tempore amplius docebunt de Christo, ut in V. T., aut non: Prius vero negavit Christus ipse. Ergo non ita docebunt. E. inspirationes atque visiones non sunt expectandæ. E. non illis opus erit.

§. IV.

Quod ad testimonium Esaiæ cap. LIV. 13. attinet, respondeo: Minime favere inspirationibus hunc locum. Verba enim ibi ita sonant: filii tui erunt לִמּוּדֵי יְהוָה Docti Dei, Theologi, Gottes-Gelehrten. Decet vero Christianum

 quem-

quemlibet esse Theologum. Quin & concedam, uti debeo, omnes plane esse doctos a Deo, non tamen immediate ut Prophetæ & Apostoli. Quis enim nescit omnem doctrinam a Deo inspirari. 2. Tim. III. 16. Ministerium tamen verbi non tollitur, quamvis hoc ponatur. Nec illi est adscribenda doctrina ejusque vis, sed soli Deo. Nam non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus S. qui per vos loquitur Matth. X. 20. Marci XIII. 11. ut Christus ipse loquitur: Spiritus S. vos omnia docebit Joh. XIV. 26. XVI. 23. Imo Apostoli διδακτοὶ τῦ Θεῦ καὶ ἐξοχὴν erant. Christus enim ipsos illos Θεάνθρωπος docuit & Spiritus S. die Pentecostali eorum fuit διδάσκαλος Act. II. 3. 4.

§. V.

Nec favet Fanaticis illis inspiratis vaticinium Joelis III. 1. 2. 3. quod alias inter disputandum proferunt. Promittit enim Deus ibi se effusurum esse Fœderis N. tempore Spiritum suum על כל בשר super omnem carnem. Quod sane jam factum est. Quando vero additur; Filii tui prophetabunt & filiæ tuæ, senes vestri per somnium accipient, & juvenes vestri visiones habebunt, illud die Pentecostes impletum est, ubi filii Judæorum filiæque & senes Spiritum S. acceperunt, prophetarunt, & visiones habuere. Ita quoque hunc locum interpretatus est sanctus Apostolus Petrus Act. II. 16. 17. Erant enim Apostoli filii Judæorum, hinc manet verum, filios eorum prophetasse Lucæ XI. 19. Postea vero immediata hæc Dei inspiratio paulatim desiit; cum ministerium verbi cœpit, & Christus discipulos suos in universum orbem misit. Apage igitur stolidos inspiratos, qui suam doctrinam sacra Scriptura velare non erubescunt; quamvis sit illis maxime contraria. Ipsum enim summum Numen per Angelum Gabrielem Danieli tempora N. Test. delineans signo inter alia esse voluit, defectus visionum & vaticiniorum atque inspirationum. Post septuaginta septimanas, inquit, erit tempus לחתם חזון ונביא ad obsignandam visionem &

Pro-

Prophetiam. Verba sane emphatica. Quod enim obsignabitur non sine maximis prægnantissimisque causis resignabitur. Sed vero nullæ causæ suppetunt, quæ moverent Deum illa resignare. Habemus enim Moysis, Prophetarum & Apostolorum Scripta sacra, illa sufficiant Luc. XVI. Propterea ita argumentor: Quodcunque obsignatum est N. T. tempore, illud eodem tempore non resignabitur, alias Deus mutabilis esset, quod impium est, statuere. Sed N. F. tempore obsignata sunt vaticinia, visiones atque inspirationes; Ergo durante illo tempore non resignabuntur. Item: Quodcunque finietur N. F tempore, illius usus frustra speratur atque expectatur. Secundum Canonem idem non potest esse simul & non esse. Atqui N. F. tempore finientur visiones, prophetiæ atque inspirationes, E. Qui aliter docent, fallunt homines & contra manifestissima S. Script. oracula insurgunt. Quod hactenus in Ecclesia factum esse dolemus, cum homines vesani, nescio, quem spiritum jactantes, multos simplices homines, in fide turbarunt. At fugiendi sunt ejusdem furfuris homines, si rectius informari nolunt. Singuli vero cum Davide Rege a Deo opt. maximo purum certumque Spiritum S. petant necesse est, Deus enim illum largietur petentibus. Quilibet quoque Christianus pius gloriari poterit de inhabitatione non tantum Spiritus S. sed totius S. S. Trinitatis Joh. XVI.

Tantum de *Novo Fœdere* ex antiqui novique fœderis scriptis in lucem proferre placuit. Cæterum gratias Deo Opt. maximo persolvimus debitas, quod nos participes hujus fœderis esse voluerit, atque etiam in nostro hoc labore Spiritus S. gratiam largitus sit. Cano igitur cum Davide ex Psalmo LXXXIX. ;ברוך יהוה לעולם אמן ואמן

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

Lex & Evangelium in N. T. conjunctim, sed debito ordine docenda sunt.

Lex Ceremonialis V. T. abrogata est.

Bona opera sunt necessaria Christiano, non ut causa salutis, sed ut testimonium fidei salvificæ.

Opera justorum non sunt absolute bona.

Qui non credit, indignus est NOVO FOEDERE.

Evangelico-Lutherana religio optime cum novi Fœderis doctrina Apostolica congruit.

Novum Fœdus est duraturum æternum.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861911229/phys_0052
DFG

enaſci poſſent lectori ex[illegible] quæ tractauimus verbis.
Videlicet (α) quando Mo[illegible] XII. addit: *abiit* (Abram)
ſicut dixerat ei Iehoua perrex[illegible] *Loth, eratque Abramus 75.*
annorum, cum egrederetur de[illegible] guere hoc videtur duplici
nomine, quod neutiqu[illegible] Moſis in v. 1. 2. 3. c. XII.
prolata intelligi queant d[illegible] e in Vr quondam facta,
cum quod ibi adhuc de[illegible] potuerit iuberi ex Haran
egredi, quippe in quo n[illegible] t, tum quoque quod non
75. annos habebat, quos[illegible] erte ait Moſes ipſum ha-
buiſſe, cum hæc c. XII. [illegible] uocatio ipſi contingeret.
Per nos enim anno 70[illegible] exire iuſſus eſt. Adegit
hæc difficultas quosdam[illegible] uerent, v. 4. in duas par-
tes dirimendum, & pri[illegible] chium vna cum v. 1. 2. 3.
parentheſi quaſi incluſu[illegible] em ex Vra profectionem
pertrahendum eſſe; po[illegible] m v. 4. inciſum ab ante-
riori ſegregatum ad poſt[illegible] Haran vnice referendum
eſſe, a qua ſententia alie[illegible] t B. CALOVIVS *Bibl. Illuſtr.*
ad Act. VII. 3. f. 854. b. f[illegible] rgent alii pro hac opinio-
ne inſuper, quod Haran[illegible] ctum Tharam, terra Ab-
rami appellari non potu[illegible] præcipi eidem, vt diſcede-
ret a cognatione ſua, v[illegible] n in Haran reliquam ſibi
non habuerit. Quamqu[illegible] rudite excogitata ſint hæc
omnia, non tamen ſat[illegible] igoroſius ea examinanti.
Quod enim ad proxim[illegible] rationem, qua amplius
confirmare volunt ſupr[illegible] lata, nos merito abſtinui-
mus ab eadem, quia ex[illegible] V. 4. 7. & 38. conſtat, eo
nomine quoque Haran[illegible] poſſe. Quo minus vero
initia v. c. de prima Ab[illegible] ctione ex Vr accipiamus,
obſtat, quod nulla in i[illegible] ichio ſit Tharæ mentio,
quem tamen primam p[illegible] m vrſiſſe, & ingreſſum ſi-
mul fuiſſe, totidem verb[illegible] Moſes Gen. XI. 31. illum
igitur iam, commemo[illegible] Abramo & Lotho, omiſ-
ſurus non fuiſſet. Qua[illegible] non Tharæ, ſed Abramo
obtigerit diuina reuelati[illegible] imum tamen ea, Abramo
inter-